Długajski Seb. Antonii Cypress Palladis Jagellonicae laureatis insignibus ac nominibus XIV. VV. DD. secundae laureae Candidatorum conspicuus.

Pozycja 2913.

CLYPEUS
PALLADIS JAGELLONICÆ
Laureatis Insignibus ac Nominibus
XIV. VV, DD. Secundæ Laureæ Candidatorum
CONSPICUUS.
SUB GRATIOSO FAVORE
Eminentissimi, Celsissimi & Reverendissimi Principis, ac Domini
D. IOANNIS ALEXANDRI
à LIPE
LIPSKI,
Divinâ Miseratione Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ PRESBYTERI CARDINALIS, EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ, Almæ Universitatis Crac: CANCELLARIJ Faventissimi,
NEC NON SUB PATERNA BENEVOLENTIA
Perillustris, Clarissimi. & Admodùm Reverendi Domini,
D. M. MARTINI KUROWSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiarum; Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Crac: & Parochialis Vieliciensis PRÆPOSITI, StudijGeneralis UniversitatisCrac: PROCANCELLARIJ Gratiosissimi,
Per Admodùm Reverendum Venerabilem Dominum,
SEBASTIANUM ANTONIUM DŁUGAYSKI,
Stylô Pòëticô
DELINEATUS.
Et dum Iisdem VV. DD. Candidatis,
Magisterij in AA. LL. & in Philosophia Doctoratûs Licentia
Solenni Ritu Conferretur,
In amplissima Nobilissimorum Hospitum Præsentia
Luci publicæ
PRÆSENTATUS.
Annô Domini 1739. Die 15. Mensis Iunij.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.



B. IOANNES CANTIVS Polonus S. Th. in Vniuersitate Cracouiensi Doctor Presbyter Secularis Romæ A. D. 16[illegible]

Quid sibi vult fixus Cælîs in imagine vultus?
Orantis species ista IOANNIS erat.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora tenebat,
Cùm tulit ad Superos fervida vota Deos.
Ara manet testis pietatis quæque IOANNIS,
Quæq; suam ponit protinus Ara fidem.
Vna patet pietas: ut ex virtutibus omnis,
Si virtus pingi posset imago foret.

MUNIFICENTISSIMO CÆLESTIUM GRATIARUM DISPENSATORI, D. JOANNI CANTIO,

S. Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI, Regni Poloniæ & M.D.L. Singularissimo

PATRONO,

ac Universitatis Cracoviensis

MAXIMO TUTELARI.

Ode Dedicatoria.

SIderum fulgor, decus & Coronæ
Grande Cælestis, Pater Alme CANTI
Esto Mæcenas, simul hujus arctæ
Præses opellæ.
Ut faves votis hominum; benignam
Gratiæ lucem precibûs petentûm;
Sic fave nostris animis, Tuamq;
Porrige dextram.
Namq; Te summi statuêre Divi
Maximum Regni Lechiæ Patronum,
Ut pius fias, celer, atque votum
Pronus ad omne.

Sis ut humanæ vacuus perîcli
Portus, ac turris ſtabilis ſalutis,
Laureatorum capitum corona, &
Lumen amicum.
Hinc fit, ex Sacrá quia largus urna,
Nube ceû dives veniente nimbus;
Effluit cenſus; numeroſa nempe
Dona bonorum.
Præter annorum ſeriem dieſque
Pacis, in quoſdam Jovis æviterna
Gratia, in quoſdam pariter perennis
Fama redundat.
Fama ſed major nequit ulla dici,
Hâc; quæ in edoctas cadit ipſa frontes;
Frontibus cauſans decus & corymbis
Nobile lumen.
Per triplex pulchro quòd amænus ævum
Lauriger lucus niteat virore,
Eſt Tuæ CANTI ſatagentis ingens
Gratia curæ.
Tu Camænarum Pater es, Lycæi
Cracij Cuſtos, meliore præſtans
Ut fluat quævis Pilios per annos
Hora metallô.
Fac pari dono, prout Oda noſtra
Poſcit, in Sacro Jagelonianæ
Palladis ſcuto niteant bonorum
Mille figuræ.

Perilluſtri

Perillustri, Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MARTINO KUROWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI, Ecclesiarum Collegiatæ Sancti FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam, & Parochialis Vieliciensis PRÆPOSITO, Vniversitatis Cracoviensis SENIORI PATRI, ac PROCANCELLARIO Gratiosissimo,

in vim perennis gratitudinis

Carmen Votivum *cum Epigraphe:*

Stellantibus astris Fama Viros probitate graves præclara coronat.

QVo Tua Palladij splendor rarissime Regni
Gesta canam memoremq; modò? vel carmine promam?
Dum meditor: superâsse modum superâsse facundi
Oris opes, dulcesq; favos, & nobile lingvæ
Intueor vicisse melos, benefacta Tuorum
Quæ pandit series per Schemmata longa dierum,
Quàm facili superas Arium, vincisq; triumpho
Nestorios, queîs terra nihil, nil orbis ab ævo
Pejus habet, facili sic frangis prælia pennæ,
Postulet ut condi, postquam agmina magna Tuarum
Virtutum, comitesque Tui non eminus artes
Viderit, & grande in vagina mentis acumen.
Si tamen obsequium necnon reverentia Patrem
Summa decet, poscitque coli meritissima virtus,
Non piget in cultum flecti, plantisq; subactos
Adsterni calamos, & festinantiùs Eurô
In plausus celerare Tuos, quem Culma politô
Vrbs populo famosa, Viris clarissima dignis
Ad Sobolis rudimenta suæ tradenda petitum
In pretio tenuit, gaudens habuisse Magistrum;
Qui in juvenum mentes apis instar mella salubris
Dulcia Doctrinæ, lectosq; ex moribus ultro
Innocuis succos studio constante còëgit.
Quid memorem Circos? quid jurgia docta Sophorum?

Quid mentis contenta Tuæ? per dogmata sacra
Elicitur; genium frontis fluxisse sub unum
Æquor Aristotelis, Thomæ Doctoris abyssum,
Amnes Pieridum, solidique fluenta Platonis:
Ac ideo sublime nihil, & Olympus opertum
Celsus habet, seu summa velim mysteria Divûm,
Angelicæ seû mentis opes, & signa loquelæ,
Quod non ille gravi capiat meditamine totum,
Pandere cuncta sciens Diuæ secreta Minervæ:
Scilicet ùt mundum, Gentes, Cælumque gubernat,
Vt videt, ùt loquitur, dispergit, ùt astra per Orbes,
Vt varios mortale genus disponit ad actus
Libertate statâ, meritis ùt præmia donat,
Vt genijs Cœli, necnon mortalibus ægris
Scire suum, variasque simul communicat artes.
Hæc postquam doctrina sonô meliore Scholares
Per Cathedras resônat, aures animosq; subintrat,
Cor rapit, & nimium Studiosos mulcet Achilles
Credita de roseis Flori vel mella loquentis
Chrisologi prodîsse labris, aurumq; vetustas
Quale locuta fuit, decies vicisse politum.
Hinc caput eximium pretiô præstantius omni
Theologus veneratus honos, mentemq; capacem
Curarum, titulis Pallas majoribus auxit
Regia, continuò feruentia vota ferendo
Vt Gracias regeret RECTOR MARTINVS Athenas,
Imperiô Musas unô regnaret in omnes;
Qui fructus utrique suos, utrique decorem
Allaturus erat. Nec enim spes ista fefellit
Cûm fasces primò PROCANCELLARIA demum
Jura tenens pretium de se prægrande Lycæo
Contulit, & Sceptris priscum renovavit honorem,
Factus gemma Togæ, Sceptrorum gloria, Regni
Palladij radiô fulgens splendente Corona.
Ergo Doctorum Decus immortale Virorum
Optimus atque Pater, vivat KVROVIVS annos
Nestoreos, trudatq; suum per sæcula nomen
Temporis in normam decoramentumq; futuri.

Illustribus

Illustribus, Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. JOSEPHO POPIOŁEK,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Clepardiæ ad Crac: PRIMICERIO, S. ANNÆ Crac: CANONICO Zielopolsciano, Parochialis Ilcusiensis PRÆPOSITO, GEOMETRÆ Iurato, ac interea Facultatis Philosophicæ DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. ANDREÆ CYBULSKI,

PhilosophiæDOCTORI, ejusdemq; Tratnoviano PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac: SCHOLASTICO.

Illustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. ANTONIO KRZANOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio ac Tyliciano Eloquentiæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Cracoviæ CANONICO, GEOMETRÆ Iurato.

Ode Votiva cum Epigraphe.

Debetur Patrijs cultus honorq; Dijs.

SI quid diserto dogmate Mercuri
Facunde nôsti dicere dulcius;
Hic prome, doctorum Virorum
Servit ubi mea penna laudi.
Ergone trinos nube silentij
Velabo Soles? absit: ad hispidos
Et lucis expertes serenæ
Cæca Getas ea spectat umbra.
Miscebo gemmis lilia, lilijs
Miscebo gemmas, imò velim rudi
Quot verba prodibunt ab ore,
Tot fierent onyches struendis Apti

Apti Coronis; quas meruit trium
Regina virtus, & Sapientia
Princeps Professorum, Togatæ
Palladis in gremio probata,
Pulchroq; culti carminis entheô
Laudata, tanquam maxima mentium
Victrix, triumphatrixq; docti
Quale Sophi celebrant, duelli.
Primum mereris primus in ordine
Artista, Stoæ quem color aureus
In purpura monstrat Sophorum
Esse Ducem, Sapientiæque.
Non vile Numen: Pieridum choros
Inter, facundos inter Apollines
Interq; Summorum Virorum
Castra loco potiore dignum.
Comprêndis unus, menteq; contines
Vnus repôstum, quidquid in antea
Pallas, Maroq; somniarunt,
Vel crepuit Plato lite docta.
Os, quæ venustum verba facit boni
Sunt fila pensi, queîs Procerum graves
Vincis amores, obligasq;
Ante priùs velut obligâsti
Posnana quando climata viseres,
Pinumq; Chiron quando Lubransciam
Labore curares novenni,
Efficiens; ut in ejus alto,
Phænix sederet gloria posthumis
Victura sæclis, Teque perennibus
Annis adoratura, tanquam
Thema sui, celebremq; causam.
Corona tandem Te decet altera
Gemmis & pulchro jaspide fulgida
O Arbiter nostrûm colende!
Ac decus eximium Licæi Rega-

Regalîs; in Te nil etenim latet
Quod come sertum non sibi vendicet;
Seû pectoris, seû candor oris,
Seû labor assiduus putetur.
Prudens Catonis mens, bene conditus
Sensus Maronis, svadaq; Tullij
Florens cadit, pronumq; cultum
Dat, quoties it ad incruenta
Duella Tecum, victaque jam semel
Semper peracrem mentis acinacem.
Linguæ Pericleæ tonitrum,
Vimque Styli sapientis horret.
Hinc ergo felix est Tua gloria;
Quòd Te Sophorum cor, Sapientiæ
Germen, medullam comitatis,
Osq; suum Schola quæque dicit.
Par atque de Te judicium volat
Ex ore Vatum, qui modò tertius
Laudandus ex turno stetisti,
Laude tamen puto major omni.
Telam coáctam si retro texere
Fas est, fateri fas erit æquiter
Quòd Principum sis pars amorum
Et Craciæ Cynosura Stoæ
Oris diserti svada facundiæ
Oracla cunctæ vincit; ut ampliùs
Verbis Tuis demulsa nunquam
Cirrha suos amet alma tandem
Audire Phæbos: Ergo perennibûs
Effata lustrîs talia promere
Donum Tibi det Rex Olympi.
Hîsq; frui det is ipse nobis.
Vt vota verbis, verbaq; fervidis
Sint juncta votis: vivite Nestores
Per mille fortunata sæcla
Incolumes, titulisq; clari.

C L Y P E U S
PALLADIS JAGELLONICÆ
Laureatis Insignibus ac Nominibus
XIV. VV. DD. Secundæ Laureæ Candidatorum
CONSPICUUS.

II. V. D. JACOBO MARCISZEWSKI,

In Colonia Albæ *Ducalis Gramma-*
tices PRO- *FESSORI,*



Stemma *NAVIS supra*
quam Aurora Cum Lēmate
Spei rudimenta *futuræ.*

QVamvìs in nullum communiter actio distans
Sit dabilis, juxtà nobile dogma Sophûm;
Te tamen ut donem metris procul inde remotum,
Svasio justitiæ, consiliumq; fuit:
Metra meret probitas, facilis mens jussa sequendi
Almæ Matris, opus laudis & actus adest.
ALBA Tubis RADIVILLA suis confirmat id ipsum.
Quamque, alijs laurum quam precor ipse tenes.

III. V. D. STEPHANO *de Nakło* NAKIELSKI,



Stemma Gentilitium.
SOLEA in *cujus medio Crux*
cum. Lemmate:
Est roseum, *quod calcat iter;*
Fæda

FÆda licèt vitiet Soleas plerumq; rubigo,
Non potuit Soleam contaminâsse Tuam.
Semper enim Studiô mansit potiore polita;
Ac ideo radiô nobiliore nitet.
Hanc calamô seû forte manu, seu pollice tangam
Illa mihi semper maxima quæque sonat.
Non opus est ratio: Soleæ primæva sonantis
Vt puto materies, aurea massa fuit.

IV. V. D. DOMINICO KOŁECKI,

Stemma *Rosa* in campo rubro,




cûm Lemmate *Hinc odor atq; decor.*

DVm specto roseum venerorq; in Stẽmate Florẽ,
Hunc reor eximium Palladis esse datum.
Nempe Tuos verè præfixum munus ad usus;
Ne labor assiduus sit sine flore Tuus.
Seû nix alba Rosam, seû purpura pingit, uterq;
Concolor est rectis moribus iste color.
Rubra verecundum, Te mundum candida signat,
Donîs nil istîs pulchrius orbis habet.

V. V. D. BALTHASARI DULEWSKI,

Stemma *Cor* ex quo prodeunt tres *Rosæ* Cum Lemmate: *Pulcherrima victima Divûm.*



Com-

COmpita non resero Pæsti redolentia, Corde
Quando Tuo roseum crescere cerno rubum.
Hortulus est pectus, sed fertilis hortulus; ex quo
Optima delicias mille Minerva capit.
Vt Cor, sic animum non auguror esse vacantem;
Quæque novam gignit mens studiosa rosam.
Tres video: decet una DEUM, decet altera Phæbum
Tertia virtutis facta corona Tuæ est.

VI. V.D. IGNATIO SEREDY, Crac:



Stemma *Corvus rostro*
tenens annulum cum Lemma-
te: *Fortunæ bona dona fero.*

Panibus assvetus volucris quandoque ferendis,
Dona Tibi longè nunc meliora tulit.
Quid latus patulo, quid denorat annulus ore?
Te sponsum doctæ Palladis esse probat.
Vel quia sacra crebrò scandenti rostra, facundîs
Per numeros veniunt verba rotunda labris.
Cætera si mittam; dos est clarissima Corvi,
Quòd magnæ de Te præco sit ipse spei.

VII. V.D. ANDREÆ CYBULSKI,



Stemma Gentilitium
Leo ex muro pro- minens pedibûs tenens
circulum: cum Lemmate: *Vir-*
tutis documenta tenet.

Cur

CVr Te magnanimo ſociem, ſimilemq; Leoni;
Non video niti qua ratione queam.
An quia ceû præceps oculis leo dormit apertis;
Sic quoque frugis amor Te vigilare facit.
Auroram ex tenebris, dulciq; quiete laborem
Appetis, ac operâ more Cleanthis ali.
Crede! Dij, qui penè laboribus omnia vendunt,
Præmia pro quovis juſta labore dabunt.

VIII. V. D. JOSEPHO MARKIEWICZ, Crac:

Scholæ Sanctorum Omnium SENIORI.

Stemma Avitum *Aquilæ medium, ac infra eam tres Ariſtæ, ſuper coronam verò ſimilis avis tenens tres ariſtas.* cum Lemmate: *Dijs Superis placet iſta ſeges.*



NOn vos aſtra Poli, non vos interrogo; Stella
Quid ferat è terris fida Miniſtra Iovi?
Rumores fert ipſa novos (ùt opinor) Ariſtas
Ex campo ſubitò promicuiſſe Tuo.
Tres video ſpicas, ſed ni demiſſio plures
Infima velâſſet, meſſis opima foret.
Virtutum pretioſa ſeges eſt iſta Tuarum,
Ingenijq; ferax, arte valentis ador.

IX. V.D. ANTONIO SIKORSKI,

Stemma *Duæ Rosæ:*
in campo *Rubro.*
cum *Lemmate:*
Simili vernat sapientia vere.



NOlim longa Tuis præconia scribere fastis,
In geminis palàm sunt inarata Rosis.
Hinc legitur pietas, princepsq; modestia morum,
Laudatæq; calens hinc venit artis amor.
Subq; rosa latitare nequit; quòd turpe perosus
Desidiæ vitium, jurgia docta cies.
Famæ talis odor si non marcescet, ab inde
Vernabit meliùs laurus amica Tibi.

X. V.D. CLEMENTI PODZIOMKIEWICZ,

Stemma: *Caput Cervi, intra cujus*
cornua crux. cum *Lemmate:*
Cuncta sub hoc munimine tuta.



SYlvestrem dum cerno feram, non judico rebus
Respondere suis nomina magna bene.
Est Tibi cervorum nil cum statione ferina,
Nomine qui CLEMENS cordeq; dexter ades.

Hôc

Hôc tamen exceptô, quòd cêu sitibundus ad undas
Cervus, Tu pariter ferris ad omne bonum.
Ad studium non segnis abis, doctosq; labores,
Te celerem Cervus, Crux probat esse pium.

XI. V.D. FRANCISCO ŁVCZYNSKI,

Stemma:. *Cynthia, circa quam tres Stellæ.* cum Lemmate *Influxu concorde juvabunt.*



ZOdiacum, Cælumq; Tuo dũ Stẽmate mõstras,
Cælestem video Te fore velle Virum.
Lunæ pono fidem, necnon tria sidera testor,
In rutilo mentem Te posuisse Polo.
Siderei motus, ac anxia cura sciendi,
Pervigil efficiunt nocte dieq; caput.
Dignus adest genius, quem protinus astra coronent
Dum labor egregius laurea serta capit.

XII. V.D. JACOBO NIKLEWICZ,

Stemma. Avitum *Gryphus* cum Lemmate: *A cunctis tutela periclis.*



SI Gryphem Tecum, si Te cum Gryphe vicissim
Æquiparem, paritas est utriusq; bona.
Aliger est Gryphus, necnon Tibi contulit alas
Artis amor, Cælos ut penetrare queas.
Maxima sic penetras superasq; cacumina rerum;
Vt gravidum captu sit Tibi penè nihil.
Dulce Rosas audire Tuæ est, & jurgia svadæ,
Qualia dum Pallas percipit aure, probat.

XIII. V.D. PETRO JOSEPHO
DE MASZOW
MASZOWSKI,

Stemma Gentilitium
Solea in cujus medio Crux
cum Lemmate:
Virtus sic ardua vincis.



FRustra alibi vestigo vias, quibus itur ad astra,
Has Soleæ cursus conficit ipse Tuæ.
Tales quando vias in docta figis arena,
Efficis; ut metam stet prope fama suam.
Quot sunt virtutum, tot sunt exempla viarum
Nævorum nullo contaminata luto.
Quid mirum? quod Pallas amans vestigia tanta
Colligit, & viridi fronde coronat ea?

XIV.

XIV. V.D. LAURENTIO DZIURKIEWICZ



Stemma: *Columna, cui innititur Luna, circa quam duæ Stellæ* cum Lemmate: *Rebus spes unica lapsis.*

QVid sibi bina velint firmā super astra Columnā?
Nonne quòd æthereum sustinet ipsa Polum?
Si fama est Phæbe, si virtus Stella coruscans,
Hâc decet ut pariter sit relevata basi.
Credo perennabit moles operosa laborum,
Ac ædilis honòs, ùt puto, Nestor erit.
Suffultum siquidem tanto fundamine, fati
Turbo ferè nullus, nulla ruina premit.

I. *Admodùm Reverendo Domino*

SEBASTIANO DŁUGAYSKI,

Ejusdem Laureæ Candidato

Authori Operis,



Stemma: *Tria Lilia in campo rubro* cum Lemmate: *Decor sunt maximus Aris*

V.D. JOSEPHUS MARKIEWICZ,
Ejusdem Laureæ Candidatus
in vim gratulatorij applausus offert.

VEr Pæstô venisse fragrans ac Tempe serena
Censeo, dum specto Lilia trina Tua.
Candoris sint signa Tui, glebamq; remonstrant
Ingenij, quàm sit pingvis & illa ferax.
Ipsorum peramænus odor dum Numina mulcet,
Creditur ex Arabum prosiluisse thymis.
Mulceri simili cupiens dulcedine Pallas,
Conclusit tenero Lilia casta sinu.

Eidem Admodùm Reverendo AuthoriOperis,
V.D. FRANCISCUS ŁUCZYNSKI,
Secundæ Laureæ Candidatus

Carmen Votivum dedicat.

UT Tua cunctorum sunt florum Lilia Reges;
Sic Reges florum pulchra corona decet.
Vtpote quos candor, quos nix commendat Avita,
Majestasq; sui famaq; magna Statûs.
Qui Superûm mensas necnon Altaria Divûm
Exornant, Templi non mediocre decus.
Qui redolent Hyblam, placidos & thuris acervos,
Suntq; peregrini gratus odoris odor.
Hos mea Musa colit, sed Pindi Præses Apollo
Evehit ad Superos ore canente Polos.
Dicit in æthereo dignos florescere campo,
Et Iovis innocuas posse subire manus.
Liligeros igitur non vexes Æole flores,
Flores sed longo fac radiare die.

Iam

Iam radient flores, aſt & Tua docte DŁUGAYSKI
Gloria perpetuis vernet adaucta bonîs.
Vt tandem totum verbo complectar in uno,
Proſper habe pronos ad Tua vota Deos.

Sub feliciſſimo ac optimo Regimine
Magnifici, Perilluſtris, & Reverendiſsimi Domini,

D. M. JOANNIS LUKINI,

V. I. DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegij Iuridici SENIORIS PATRIS, Eccleſiarum; Cathedralis Cracovienſis CANONICI, Collegiatarum; Viſlicienſis PRIMICERII, Sanctorum Omnium Cracoviæ CANCELLARII, Parochialis Sławkovienſis PRÆPOSITI, Contubernij Regio-Iagelloniani PROVISORIS, Studij Generalis Vniverſitatis Cracovienſis Vigilantiſſimi

RECTORIS.